

Observationes Tibullianae.

Tibulli, Latinorum poetarum elegiacorum si minus principis, at principi parvo intervallo proximi, carmina qua sint condicione nobis relicta, non poterit non apparere, si quis semel ea perlegerit. Sed enim tam lacunosa sunt, ut nonnullorum tantum fragmenta eaque exilia et tenuia exstent. Praeter hanc plagam, quae fortasse numquam sanabitur, poetam nostrum turpissimis interpolationibus esse inquinatum atque foedatum valde dolendum est. Neque desunt alii loci innumeri, qui licet crisi exercenda elegiacum nostrum demeriti sint viri doctissimi iique elegantissimi plerumque iudicii: Muretus, Scaligerus, Heynius, Vossius, Lachmannus, alii, tamen adhuc manu emendatrice egent. Quae res praecipue in causa fuit, hunc ut commentandi materiam mihi proposuerim. Itaque hac oblata scribendi occasione quaedam in legendo Tibullo obiter observata in medium protuli.

Tibulli igitur carmina sicut ceteros poetas veteres plerosque interpolatores repperisse neque a veri simili abhorret neque intestatum est. Nam quae est elegiae natura et ratio, ut singulis plerumque constet sententiis minus coneinne et arte inter se coniunctis, interpolatorum libidini facillimam occasionem et quasi ansam de suo addendi supplendique praebebat. Accedit, quod libri manu scripti, quorum magnus numerus est, plerique saeculo demum quinto decimo confecti sunt, quo quidem ipso tempore multi Itali Tibullum sibi proposuerunt imitandum. Archetypon autem, ex quo codices, qui exstant, fluxerunt, perquam laceratum et lacunis refertum fuisse videtur, quas quidem lacunas viri docti iique ipsi plerumque poetae supplebant. Neque desunt praeterea vestigia quaedam in codicibus relicta, quibus nonnullos eorum nominatim statuere quidque singulis sit tribuendum, certius possumus definire. Sunt autem hi: Pontanus, Seneca, Aurispa, Philelphus, quorum ad priores insignior carminum Tibullianorum interpolatio referenda est. Pontanus enim, qua erat fraudulentia non excusanda, simulabat, ut ait Huschkius, habere se vetustum codicem, cui inessent quidam versus in aliis libris desiderati; conferatur sis Huschkii praefatio editionis Tibullianae; quem tamen codicem inspiciendi nulli nimirum alii copiam fecit nec facere potuit, si quidem finxerit, quod nusquam gentium exstaret. Disertis quoque verbis in codicibus quibusdam Tibullianis in Pontanum auctorem versus nonnulli referuntur. Sunt hi: II, 3, 14

*Ipsae et spumanti fertur mulctralia suco
Implesse expressis primus ab abietibus*

vel ut rectius est coll. Propertii II, 34, 70 (III, 32, 70), *uberibus* pro *abietibus*. Eiusdem carminis vers. 75:

O valeant cultus et tinctae murice lanae

Pontano tribuitur. Denique idem I, 2, 24 huius auctor fertur pentametri:

Usque meum custos ad latus haeret amor.

Conferatur Huschkii ad hos locos adnotatio. Ad Senecam quod attinet, eius memoria servata est a tribus librariis codicis Dresdensis, Mediolani, Parisiensis; in his enim codicibus inter se diversis Seneca interpolationis nomine eius adulterinis versibus appposito compellatur, addita hac nota *suppl. Seneca* vel simili. Vide, si placet, Huschkii praefationem. Ad Senecam autem auctorem referuntur: II, 3, 14

Creditur ad mulctram constituisse prius;

deinde II, 3, 75

Ah, pereant artes et mollia iura colendi;

tum I, 2, 24

Praesidio noctis sentio adesse deam.

Restant Aurispa et Philephus Tibulli interpolatores, quorum hic nominatur auctor versus II, 3, 75

O utinam veteri peragrantes more puellae,

illi praeter II, 3, 14

Et potum pastis ducere fluminibus,

cui teste Mureto in vetere quodam libro adscriptum erat *Versus Aurispae*, tribuitur I, 2, 24 pentameter

Securum tenebris me facit ipsa Venus.

Praeter hos, quos supra enumeravi, versus ipsorum codicum auctoritate damnatos, quorum neuctores quidem incogniti sunt, a viris doctis paene uno consensu notheias est suspectum distichon, quod legitur I, 5, 45 et 46, quod iam pridem observatum est, primum non, ut fertur, ab O. F. Gruppio, sed, nisi fallor, a C. Praefekio in *Commentatione de difficilioribus quibusdam Albi Tibulli locis* p. 21 (Brandenburgi Novi a. 1837 edita), anno antequam Gruppium librum, qui inscriptus est *Die roemische Elegie* edidit. Praefekius idem quod Gruppium argumentum potissimum protulit, quia nempe Tibulli eiusmodi comparationes e mythologicis fabulis tam longe petitas plane repudiaret et fastidiret; assensus igitur est sive sciens sive nesciens O. F. Gruppium in libro *Die roemische Elegie* p. 192 = *Minos* p. 1 sqq. et G. H. Bubendey Quaest. Tibull. p. 8 sqq. isque novis argumentis allatis.

Sed ne referre tantum videar partim iam dudum cognita partim ab aliis iam prolata, etsi non perdita esse videatur opera, si quis, quae adhuc in Tibulli carminibus statutae sunt interpolationes, omnes ut uno conspectu habeantur, eas recenseat, tamen hac re praetermissa quae nova eis habemus addenda, in medium proferamus.

Versibus igitur spurii, nisi me omnia fallunt, distichon, quod **II, 4, 57 et 58** legitur, adnumerandum est, quo quidem mea sententia pulcher pulchri carminis exitus turpissime foedatur. Poeta autem summo Nemesis puellae amore captus, quaecumque postulentur, sese facturum spondens etiam veneficia se sumpturum hisce pollicetur verbis:

Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,

Quidquid et herbarum Thessala terra gerit,

Et quod, ubi indomitis gregibus Venus adflat amores,

Hippomanes cupidae stillat ab inguine equae,

Si modo me placido videat Nemesis mea vultu,

Mille alias herbas misceat illa, bibam.

Quorum versuum medios spurios et insiticios iudico. Argumenta, quibus utor, haec sunt. Iam primum distichon, de quo quaestio est, hoc loco alienum esse totius loci ratio ostendit. Sed enim tria venenorum exempla enumerare voluit poeta, *quidquid* ter posito usus, qua in re morem poetarum secutus est numerum ternarium amantium, et tertio insuper *et* voce adiecta, qua quidem et ipsa enumeratio absolvitur; namque *et* hoc loco explicandum est *denique*. Magno vero cum elegantiae detrimento poeta constructione, qua coeperat, excessisset, id quod ab eleganti Tibulli genere dicendi mirum quantum abhorret. Huc accedit alterum argumentum non minoris momenti; nam cum in priore disticho *herbarum* genera enumeret, si in altero alius generis veneni mentionem iniecisset, in tertio non potuisset dicere: *Mille alias herbas misceat*. Tertium argumentum a pulchri sensu vehementer laeso petatum est. Nam quod ad sententiam versuum, quos in dubitationem vocamus, attinet, inelegantissime et ineptissime a poeta hoc certe loco dictum mihi videtur hippomanes i. e. sucum illum e vulvis equarum amore furentium distillantem sese bibiturum spondere, quod et ipsum a Tibullo alienum iudico. Longe alius et, ut ita dicam, tolerabilior est locus Propertii IV (V), 5, 18:

Consuluitque striges nostro de sanguine et in me
Hippomanes fetae semina legit equae.

Iam certum videtur hos versus non esse a Tibullo scriptos. Restat, ut unde originem duxerint quave ratione loco nostro sint inveci, investigemus. Iam vero non est negandum inter pentametrum nostrum et versum Vergilii Georg. III, 281:

distillat ab inguine virus

Hippomanes

magnam intercedere similitudinem, quae vix casu orta esse potest, qualis similitudo sive verborum sive sententiarum certissimum innumeris locis interpolationis vestigium putanda est.

Quae cum ita sint, hos versus spurios habendos censeo et eiectis iis locum hac sane forma pulchrum et Tibullo imprimis dignum ita velim scribi:

Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,
Quidquid et herbarum Thessala terra gerit:
Dummodo me placido Nemesi mea videat vultu,
Mille alias herbas misceat illa, bibam.

Iam ad alium eiusdem carminis locum adhuc manu emendatrice egentem transeamus tractandum: II, 4, 37 et 38:

Hinc fletus rixaeque sonant, haec denique causa
Fecit, ut infamis hic deus esset Amor.

Libri manu scripti exhibent omnes *hic deus*, quo nihil corruptius potest cogitari. Locum autem corruptum esse iam vitium metricum, quod in voce *infamis* exstat, ostendit; prima enim pentametri pars brevi ultima syllaba apud huius aetatis poetas non invenitur; qui loci praeter eum, de quo agimus, apud Tibullum leguntur, corrupti habentur; sunt hi: I, 4, 44:

Venturam admittat imbrifer arcus aquam

quo loco Heinsius facili et probabili mutatione *nimbifer* scripsit; II, 3, 14:

Lacteus et mixtus obriguisset liquor,

qui locus a nemine non est suspectus. De locis similibus Propertii et Ovidii Bubendey l. l. p. 24 nota disputavit.

Huc accedit, quod neque *hic*, quomocumque accipias et veritas, ullo pacto sanum sensum praebet, neque *deus Amor* vel simile quid umquam apud poetam Romanum legere memini (nam quod III, 4, 50 legitur *deus Cynthius* vel *Delius*, *Delphicus* et quae sunt similia, horum alia ratio est), immo recentis aetatis morem et indolem mirum quantum sapere videtur. Neque possum probare, quae a viris doctis prolatae sunt emendationes, velut Heinsii, qui metro haud dubie consulturus *sic deus* maluit, qua mutatione metro quidem medetur, malum tamen nequaquam tollitur, cum *sic* omni prorsus vi careat; Heinsio eum, qui nuperrime Tibullum tractavit, Bubendey Quaest. Tibull. p. 23 nota adstipulatum esse miror. Broukhusius anaecoluthon in hoc disticho statuens emendabat: *Fecit, ut infamis nunc deus erret Amor*. Waardenburgius denique, quem nomino, ne quid desideretur, corrigere voluit *nec deus*, sensu vel maxime pravo. Rectam emendationis viam praeiisse putandus est Heynius, de Tibullo et emendando et explicando satis meritis, cum dicit (adnot. ad h. l.): *Potest in hic deus latere aliquod Amoris epitheton*, quem miror satis incredulum et dubitantem adicere *quod tamen non invenio*. Iam vero toti huius loci rationi et contextui est consentaneum epitheton, quod quaerimus, illi *infamis* oppositum oportere esse; quod cum ita sit, non dubito reponere: *Fecit ut infamis candidus esset Amor*. Qua mutatione et metro consulitur et sensus perquam aptus restituitur. Ita enim interpreto:

Das war der Grund auch,
Dass den Menschen verhasst Amor der liebliche ward.

Ceterum et si litterarum ductus respicimus, nihil desideratur. Idem Amoris epitheton legitur Propertii II, 3, 24:

Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus
Candidus argutum sternuit omen Amor?

Iam si originem sciscitamur corruptelae, hoc loco, si quid video, litura vel lacunula, quales compluribus locis vel significantur vel merito statui possunt, in archetypo extiterat, quam librarius satis male et scaeve explebat. Exempla congegit Bubendey Quaest. Tibull. p. 24 sqq. Neque tamen haec una, quae iniri potest, emendandi via est; potest enim etiam nominis cuiusdam vel dativus vel ablativus pendens a voce *infamis* excidisse; sed praestat, dum melius quid afferatur, in eo, quod supra proposui, adquiescere.

In versuum Tibullo abiudicandorum numerum etiam distichon, quod II, 6, 23 et 24 legitur, refero. Qui versus ad eam partem carminis pertinent, quae in laude spei homines in quavis vitae conditione consolantis et sustentantis versatur. Poeta — hinc enim carmen proficiscitur — diris amoris cruciatibus tantopere vexatus, ut vitae eum prorsus taedeat, sola spe ne manus sibi inferat prohibetur, cuius vim et potentiam exemplis allatis ostendit:

Iam mala finissem leto, sed credula vitam
Spes fovet et fore cras semper ait melius.
Spes alit agricolas, Spes sulcis credit aratis
Semina, quae magno fenore reddat ager;
Haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces,
Cum tenues hamos abdidit ante cibus;
Spes etiam valida solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus;
Spes facilem Nemesim spondet mihi, sed negat illa.

Ac primum quidem spei potentia et vis, qua sola poeta in vita retinetur, agricolae exemplo allato demonstratur, quod quidem eo magis aptum est, quod Spem deam ad anni proventum imprimis relatam esse constat. Ab agricola deinde poeta per gradationem, ut dicitur, ad servum transit in ergastulo inclusum compedibusque vinctum, quo exemplo aptissimo Ovidius eodem usus est epist. ex Ponto I, 6, 31:

Haec facit, ut vivat vinctus quoque compede fossor

Liberaque a ferro crura futura putet.

Haec vero gradatio vv. 23. et 24. interrumpitur, quibus exemplum tenuius minusque aptum ad spei vim declarandam inseritur. Iam Heynius hos versus parum huic loco accommodatos esse iudicavit. Atque vero hoc exemplum ab eleganti iudicio Tibulli alienum putandum est et, si duobus illis exemplis tertium adiungere voluisset, aliud certe huius loci et totius carminis gravitati magis aptum elegisset. Ovidius quidem permulta spei exempla in epistula supra laudata afferens piscatoris et aucupis mentionem non fecit. Iam accedit, quod nimis accurata piscandi descriptio molesta est; tum in voce *ante* offendimus, quae, quemcumque sensum ei tribuas, omni vi caret et prorsus superflua est, id quod Vossium commovit, ut *arte* legendum esse censeret coll. II, 1, 24., quod Huschkius probavit. At vero hos versus non mutandos, sed eiciendos esse ut credam, eo confirmor, quod eiecto disticho omnes partes huius carminis ita inter se respondent, ut strophica quae dicitur versuum responsio appareat, qualis responsionis, etsi non ubique adhibita est, in quibusdam Tibulli carminibus certa vestigia facili opera possunt demonstrari. Sed enim carmen, de quo quaeritur, ex quattuor constat partibus, quibus suus omnibus color, suus sententiarum orbis certis terminis finitus est, ut in alio carmine nullo facilior sit divisio. Ac prima quidem parte (v. 1—14) poeta fluctuantem suum animum proponit, cum Macri amici in bellum profecti exemplum secuturus, tamen puellam suam relinquere non possit. Altera parte (15—28) cruciatus amoris depingit sibi iam ipsum manum illaturum fuisse affirmat, nisi spe melioris temporis in vita retineretur. Inde (a v. 29) ad ipsam Nemesim conversus gravissimis eam verbis, ut sibi parcat, obtestatur. Poeta ad summum animi affectum ita progressus inde extrema carminis parte (v. 41 usque ad finem) puellam omni culpa liberat eamque in lenam transfert. Iam vero eae carminis partes etiam versuum numero inter se respondent, dummodo duo illi versus (23 et 24) eiciantur. Quo facto prima pars (1—14) septem continet disticha, altera sex (15—28), tertia sex (29—40), extrema iterum septem (41—52), ita ut hunc ordinem habeamus palinodicum: 7. 6. 6. 7.

Paucis denique verbis attingam **I, 10, 11**:

Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
Arma nec audissem corde micante tubam.

Qui locus, in quo et explicando et emendando iam dudum interpretes et critici mirum quantum operae consumpserint, quin corruptus sit, vix potest dubitari, quamvis Vossius quidem et Dissenius sanum eum et incorruptum esse confirmant. Neque vero interpretatio, qua eum enucleant, potest probari. Vossius enim eumque secutus Dissenius vulgi tristia arma cultros, rastros, fustes, alia esse putant (Mordwaffen, die der Poebel in seinen Haendeln braucht, als Messer, Beil, Feldgeraeth). De talibus vero instrumentis hic non agitur neque de odiis et dissidiis vulgi, sed de bello, id quod statim initio elegiae nostrae poeta innuit hoc versu:

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?

Iam vero si quis *vulgi* vocabulo exercitus et milites (Kriegsvolk nos dicimus) significari velit, vereor, ut hoc loco ita accipi possit, qua quidem significatione non nisi apud pedestris orationis scriptores velut Cornelium Nepotem VII, 8, 2 et apud Livium saepius occurrit, in poeta legi non memini. Iam *arma tristia* quid sibi velint, per se satis apertum est neque quo explicentur, indigent, immo poeta ipse verbis, quae sequuntur, *nec audissem corde micante tubam* more consueto explicat. Vulgata igitur lectio corrupta putanda est et emendanda. Neque desunt coniecturae a viris doctis sat multae prolatae, ex quibus has attingere libet. Broukhusius igitur ex Heinsii emendatione in textum recepit: Tunc mihi vita foret *dulcis* nec tristia e. q. s. Heynius etsi Heinsii emendationem elegantem nominat et in quam statim incidat, si de vulgata lectione dubitari coeperis, tamen ipse eleganter quidem emendat: Tunc mihi vita foret, *Valgi*, nec — ita ut vocabulo *vulgi* nomen lateat amici poetae nostri, cui fortasse carmen fuerit missum, id quod tamen minus certo neque idoneis argumentis nixus coniecit. Reiectis his emendationibus Huschkius, de Tibulli lectione constituenda imprimis meritis nec satis laudandus, coniecit: Tunc mihi vita foret, *vel ubi* nec e. q. s. Atque vero propius eum accessisse non dubito dicere. Iam antequam hanc Huschkii emendationem legeram, equidem conieceram: Tunc mihi vita foret *vel si* nec e. q. s. *vel si* leni mutatione pro *vulgi* scribens. Quod cum ad tradita litterarum vestigia propius accedat, ausim proponere. Restat, ut *si* particulam in eiusmodi votis ab aliis quoque scriptoribus usurpari nitar probare. Quamquam igitur vulgarius apud poetas in votis *o si* offertur, tamen et simplex *si* reperisse mihi videor in loco Vergilii Aeneid. VI, 187:

sic forte precatur:

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat!

Conf. Servii ad hunc locum commentarius, qui si et simplex *o* voventibus et optantibus in usu fuisse dicit loco Quinti, quem affert, *quamquam o, sed superent* nixus, fallitur, cum mera sit interiectio. Quod vero Latini poetae simplex *si* usurpant, in eo Graecorum morem sequuntur, qui simplici $\epsilon\iota$ pro $\epsilon\iota\theta\epsilon$, $\epsilon\iota$ $\gamma\acute{\alpha}\rho$ utuntur, ut Sophocles Oed. Reg. v. 863. Conf. Hermannus ad Viger. p. 757.

Index locorum.

I, 10, 11.

II, 4, 37 et 38.

II, 4, 57 et 58.

II, 6, 23 et 24.